



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. De potestate Archiepiscopi, vel Episcopi electi, & confirmati, sed nondum consecrati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

c. si confirmationem 39. h. t. in 6. quia utile per inutile non vitiatur, si unum ab altero separari possit, juxta *Reg. juris 37. in 6.* & hinc fieri potest, ut electio quidem valida sit, confirmatio verò nulla, si v.g. Ecclesie alicui, ut provideant Canonici, prohibuit quidem Pontifex, Canonici tamen ante prohibitionem talem, Prælatum jam elegerunt, confirmatio tamen illius facta fuit post prohibitionem, ut patet ex *c. si eo tempore 45. h. t. in 6.*

§. VI.

De potestate Archiepiscopi, vel Episcopi Electi, & confirmati, sed nondum consecrati.

Resp. 1. Archiepiscopum electum, & confirmatum, nondum tamen consecratum, & qui pallium Archiepiscopale nondum accepit, posse quidem actus jurisdictionis aliquos, quales sunt causas audire, & cognoscere, delegare, judices constituere, committere potestatem ordinandi &c. exercere, non autem licetè posse actus majoris jurisdictionis exercere, qui proprii sunt dignitatis Episcopalis, uti patet ex *c. quod sicut 28. §. præterea h. t.* per pallium enim, quod ante consecrationem non confertur, confertur Archiepiscopo plenitudo potestatis ad ejusmodi actus Archiepiscopales exercendos, quos quamvis validè etiam sine pallio exercere potest, non tamen licetè, cùm à sacris Canonibus hoc illi prohibeatur.

Resp. 2. Episcopum electum, & confirmatum, licet consecratus non sit, posse ea omnia exercere, quæ solius ju-

Compend. Pirhing.

risdictionis Episcopalis sunt, non autem ea, quæ sunt ordinis Episcopalis; prout sumitur ex *c. transmissam 15. h. t.* juncta *Gloss. V. de talibus.* Cùm enim Ordo Episcopalis non conferatur, nisi per consecrationem, consequenter ea exercere non potest, quæ sunt Ordinis Episcopalis, si consecratus nondum sit; contra verò, cùm ad actus jurisdictionis exercendos nullus Ordo per se requiratur, sed requiratur tantùm, ut jus in re, sive jus administrationis illi conveniat, hoc autem jus per confirmationem obtineat, poterit consequenter actus jurisdictionis exercere, quamvis consecratus non sit, modò sit confirmatus. Sunt quidem qui putant, Episcopum nondum consecratum, non posse per se causas criminales, quæ inter arduas numerantur, & majoris inquisitionis discussionem requirunt, cognoscere, & judicare; verius tamen sentiunt, qui etiam has causas criminales judicari posse putant ab Episcopo confirmato, non consecrato; quod enim potest alicui simplici Sacerdoti, qui nec Ordinem, nec jurisdictionem Episcopalem habet, delegare Episcopus, hoc utique etiam per se potest, quamvis Ordinem Episcopalem non habeat. Potest autem Episcopus actus hos jurisdictionis exercere, si confirmatus sit, ante solemnem installationem seu corporalem introductionem in possessionem, cùm per solam confirmationem jam omnia jura illi competant, & sedes non amplius vacet, nisi aliud aliquid particularis loci consuetudo requiratur.

* * *
* * *
*

L

§. VII. De